

Timermann  
Belladonna<sup>de</sup>  
137.



*Fa 98.*

X7.33.

~~*Fa 98*~~



THEOPHILUS C. P. R. A. D. I.  
DE M. A. L. E. R. S. T. A. N. N.

BELLADONNE

3.  
&







THEODORI GERHARDI  
TIMMERMANN

MED. DOCT. ET PROFESS. PRIMAR.  
VRBISQVE RINTEL. PHYSICI,  
ACADEMIÆ H. T. PRORECTORIS  
ET FACVLT. MED. DECANI

PERICVLVM MEDICVM  
BELLADONNÆ.

*PROLVSI O ACADEMICA.*



---

RINTELIU TYPIS I. G. ENAX, A. T.





THEODORI GERHARDI

TIMMERMANN

MED. DOCT. ET PROFESS. PRIMAR.

VERBODT RINTEL. PHYSICI.

ACADEMIE IN T. PROSECTORIS

ET FACULT. MED. IN GANA

PERICULVM MEDICVM

BELLADONNE

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZUHALLE

PROF. IN PHARMACIA



PHARMACIA







**B**elladonnam, quæ majoribus foliis & floribus  
T. *Solanum maniacum* multis I. B. *μελανο-  
κέρσος* C. B. *furiolum & lethale* Aliis,  
*Atropa caule herbaceo, foliis ovatis inte-  
gris* L. inter plantas maxime venenatas  
militare, res est satis comperta & co-  
gnita. Eoque deleterio nomine, toti  
quidem plantæ proprio, imprimis ta-  
men baccæ sunt infames, quod aspectu suo nitente, haud in-  
elegante, nigricantia matura cerasa, & sapore quasi vinoso,  
æmulantes, facile ad esum pellexerint & deceperint pueros.  
Comestæ, numero paucae, quatuor, tres, vel saltem duæ  
baccæ, quin una, pro ratione tum ætatis tum quantitatis  
sumtæ efficiunt aut maniam cum gesticationibus convulso-  
riis aut somnum vel inexpugnabilem veternum, tremores,  
convulsiones, suffocationem, & inter hæc mortem, nisi vi-  
rus tempestive ope vomitorii excussum & residuum nocens a  
superbibito aceto itemque melle cum aqua, in magna copia  
sumtis, & per clyσμα ex melle & oleo, enervatum & domi-  
tum fuerit. Plures ejusmodi lugubres casus literis signa-  
ti sunt. De pueris ita enectis in Gallia, recenti exemplo,



cl. PINAI (a), pridem de aliis in Anglia RAIUS (b), & in Hollan-  
 dia, aliisque in Hetrusca aula, quam ob rem hortulanus, cui  
 iustum fuerat has venenatas plantas cavere, suspendio fuit  
 plexus, refert BOERHAAVIUS (c). Ex eadem causa hortulanus  
 regius Hafniensis cadaver filioli extulit, & simili fato conces-  
 sissent tres filiola, ut concesserat quarta natu minima, qui-  
 bus lufitantibus in merendam apposuerat nebulonum peffi-  
 mus paropsidem, plenam baccarum hujus solani, nisi mori-  
 bunda jam a Simone PAULLI servata fuissent (d). Et BUCHA-  
 NANUS in *Historia Scotica* (e) exponit, quo pacto hujus solani,  
 cujus magna copia passim in Scotia nascitur, succo panem,  
 vina & cerevisiam Scoti infecerint, unde Danos hostes suos,  
 in quorum castra infectus iste commeatus Scotorum dolo  
 pervenerat, ita dementarint & in profundum somnum indu-  
 xerint, ut eorum ducem Suenonem, Canuti regis fratrem,  
 cum toto exercitu deleverint: pauci enim tumultu excitati,  
 cum velut amentes temere discurrerent, ab obviis caedeban-  
 tur, & reliquis fere mors cum somno continuata est; Scotis  
 post hanc victoriam, sine sanguine partam, in laetitiam con-  
 versis. Alia, huc spectantia, exempla, quae passim apud  
 Scriptores occurrunt, conquirere impraesentiarum non opus  
 est.

Belladonna haec, non ubivis regionum obvia, crescit  
 quoque locis umbrosis in vicino nobis trans Visirgin monte,  
 Ludersberg. Nomen istud belladonnae impositum est ab Ita-  
 lis, quia ex ejus succo vel aqua destillata fucum conficiunt  
 mulie-

- 
- (a) cl. VANDERMONDE *Journal periodique de Medecine* 1757. Augusto.  
 (b) *Hist. plant. lib.* 13. p. 680. Tomi I. Londini 1693.  
 (c) *Hist. plant. P. 2. p.* 509. edit. tit. Roma 1731. 8vo.  
 (d) *Quadrupart. Botan. p.* 542. edit. 1708.  
 (e) *lib. 7. Rex* 84. p. 199. sq. edit. Francof. 1584. 8vo.



mulieres, quo faciem oblinunt & pallidæ exin redditæ gratum simul ruborem conciliant.

Venenatissimæ hujus plantæ usus medicus internus salutaris adversus cancrum præsertim occultum, cum methodo utendi eâ tutò, satis diu in arcanis habitus fuit. Quum aliquas hac de re generatim ex primis observationes & testimonia, quæ vel efficaciam vel inutilitatem belladonnæ ostendere queant, cum Publico communicare possim, haud ingratam fore arbitror Lectori Medico hanc qualemcunque, etiam si inter variegati muneris tumultuaria studia nunc præcipitandam, quam officium ex more postulat, scriptiunculam meam, utilitate aliquâ commendatiorem futuram, nisi variæ huic fini forsan idoneæ schedæ inter chartarum cumulos relicta in domo b. Parentis mei, amplissima praxi gavisi, & me adolescentulo defuncti, mihi deficerent.

Fuit pridem, ut reperio, quidam *Dominus* BRUMMEN, Consiliarius Gothanus, qui habebat formulam conficiendi ex belladonna medicamenti, cancos sanaturi. Eaque formula pervenit in manus *b. Dni D. SPAETH*, clarissimi quondam Practici Wisbadensis, ante triginta jam, & quod excurrit, annos mortui. Hic quum occasionem haud nancisceretur periclitandi prædicatas formulæ istius vires (verus enim cancer, ut flebiliter magnus, ita satis rarus morbus est, si discesseris a majoribus & populosis urbibus, itemque à numerosis monialium monasteriis, quanquam & hic opinione infrequentior sit, sæpeque scirrhus falso cancræscens titulo venditari videatur), eandem communicavit cum *b. Joh. IUNCKERO*, cel. quondam Halensium Professore. IUNCKERUS eam experimento subjecit, ejusque eventum brevissime & ænigmatice meminit in *Conspectu Therapiæ Generali*, editionis 1725. pag. 491. his verbis: *nos folia belladonnæ in cancro vere deplorato cer-*



*ia methodo & parcissima dosi adhibentes admirabilem prorsus eorum  
 virtutem vidimus; sed cum alio exemplo non æque fructuosa reper-  
 ta, nedum frequentioribus experimentis probata sint, intempesti-  
 vum foret, de certa illorum salubritate quicquam divulgare., In-  
 terim b. IUNCKERUS anno 1724. istud artificium communica-  
 verat cum b. Job. Hartm. DEGNERO, Medico Civitatis Neoma-  
 gensis felicissimo, dein etiam Scabino spectatissimo. Opti-  
 mus DEGNERUS & amicissimus b. Parentis mei Job. Arnoldi  
 TIMMERMANNI, Archiatri Borusso-Regii Aulaeque Treviren-  
 sis, & in Academia Duisburgensi Professoris, hunc occasio-  
 ne oblata participem fecit ejus rei per litteras d. d. 10 Junii  
 1727, quarum ut huc transcribam partem, ipse scopus meus  
 postulat, his verbis: *In statum femine, quæ Tuas mihi tradi-  
 dit, inquisivi, quantum per temporis brevitatem licuit; suspicio  
 mihi nata est, febrem illius hecticam ex tuberculis scirrhis in vi-  
 sceribus abdominalibus latentibus originem trahere, & quantum  
 ad tumorem linguae attinet, eum verum esse scirrhum facile in can-  
 crum degeneraturum, nullus dubito, cujus malam indolem, præter  
 duritiem & colorem, conjuncti & sæpius recurrentes in parte affe-  
 cta æque ac in sinistro capitis latere dolores satis indicant. Septico  
 meo hanc glandulam extirpare haud ambigerem, sed obstat locus,  
 quo minus commode adplicari possit, hinc consultius videtur, curam  
 quodammodo palliativam adhucdum instituere, hac nempe methodo,  
 ut post generaliora lenientia foliolum unicum herbae Belladonnae in  
 quatuor Theekopjes aquae calidae infundatur, ipsique omni mane  
 1 Theekopje voll propinetur, motusque corporis subjungatur. Hac  
 infusione in duabus puellis glandulam scirrhosam mammae valde exestu-  
 ante laborantibus & extirpationem respicientibus, dicto modo per  
 aliquot septimanas & menses usus sum, eoque suppuratio cancre-  
 scens inhibita est, tumor decrevit, dolorisque plane expers & tole-  
 rabile redditum fuit malum. Et si idem hac in femina obtineri pos-  
 sit,**



fit, nullum erit periculum. Quodsi vero in ulcus abscedere vellent tumor, tunc septicum sine hesitatione adplicandum censerem; Et ut, vir celeberrime, paratissimum meum in Te animum taster, Septici mei descriptionem bona fide Tecum communico (\*). Paratur illud ex salis alcal. ex sarmentis vitis parati ℞j, & Calcis viv. ℞ss, quibus in crucibulo amplo, igne aperto, per aliquot horas fufis, elixivatur sal pauca aqua, & in hoc liquore solvitur Opii puriss. uncia una, & sic vel in forma liquida adservatur, vel ad consistentiam siccam leni igne redigitur. Septico hoc mitificato, vel per se, vel pro circumstantiarum ratione in forma dilutiori cum Tinct. antimoni alca. debiliori, vel Tinct. myrrh. remixto, in tumoribus, quavis in corporis parte, etiam in ipsa oculi palpebra, natis, ut & excrefcentiis & exulcerationibus venereis, cancrofis, sine ullis accedentibus symptomatibus usus sum, mihiq; hactenus satisfacit. ----- Cumque b. Parens meus saepe soleret uni alterive discipulorum suorum, qui tyrones artis erant & eodem secum tecto utebantur, permittere, ut literarum medicarum, quas scripserat, si per ægri & rei temporisque rationem liceret, exemplum sibi fumerent, forte epistola, eam ipsam ægram concernens, incidit in manus meas, exarata olim ad cl. D. N. TISSOT, D. & in Bremensi Lyceo Professore Medicum, ex qua sequentia addo: ----- cum pharmacopœus nostras dexterrimus diceret mihi, fratrem suum Bremensem mercatorem narrasse Tibi curationem in sorore hic feliciter peractam, Te vero exactiorem hujns casus descriptionem desiderare, ipse eum ad Te paucis perscribere constitui, cum & conjunctissimus Collega meus Daniel GERDESIUS, qui jam Amstelodami sponsus est cum Medici celeberrimi

---

(\*) Observatio de maligno linguæ scirrho percurato à b. DEGNERO, ope septici sui, cujus autem præparationem ibi reticuit, legi potest in *Breslauerischen Natur- und Kunst-Sammlung*, xxviii Versuch, pag. 642.



mi Samuelis SEULLYN filiâ, sæpius mihi Tuam doctrinam & Scientiæ amorem summum laudasset, eo magis amicitiam & commercium Tuum literarium ambire animus erat, licet mihi praxi medica fere obruto parum temporis ad literas scribendas, multo minus vero ad edendum aliquid solidi, supersit. Soror Domini --- triginta sex annos nata, vivens in conjugio sterili, mensum anomalias multum passa, alias satis leta ac vegeta, ante viginti menses inciderat in tertianam continuam vehementissimam, tum hic epidemicam, a qua vix nostro consilio evâsit, diu post manens valetudinaria cum febriculis levis, tandem tamen multo labore resituta. Habuerat vero tuberculum scirrhosum in linguæ anteriori parte, pisum æquans, ab aliquot annis; Hoc post morbum exasperatum, ab atrabilaria sanguinis crasi, dissipata per febris vehementiam liquidissima humorum parte, & acrimoniâ scorbuticâ, a qua non plane immunis fuerat, inde asperatâ. Tuberculum hoc cum sensim magis tumesceret ac nigricaret, ad magnitudinem avellane increscens ac dolens, majore plerumque cum dolore & tumore circa mensum difficilius fluentium tempora, metum cancerosæ malignitatis non sine ratione incussit aegræ. Hinc de tollendo cogitatum. Exstirpationem a me propositam, ac a RUYSCHIO, optimo meo præceptore, quem ante septem hebdomadas Amstelodami in vici nonagenario majorem, feliciter aliquando institutam, aegræ admittere noluit. Ergo de septico quodam securo solliciti fuimus. Cumque D. DEGNERUS, Medicus Neomagensis, qui nuper Tractatum de Turfis edidit, quique est ex Societate Nat. Cur. in Act. Wratislaviens. scripsisset, sibi esse septicum, quo caneros linguæ feliciter eradicaverit, Noviomagum mihi agram; ac septicum suum nondum necessarium judicans, ante annum Vir optimus mihiq; amicissimus, proposuit bonam dietam ac internum Belladonnæ usum, sed moderatissimum, communicavitque mihi descriptionem sui septici, si forte usu veniret, estque sal ex cinere sarmentorum vitis acerrimum cum opio certa encheiresi miri-



mitigatum. Belladonnâ per plures menses frustra & cum turbatione generis nervosi usurpatâ, malo interim crescente, magis seria de exstirpatione consilia capta sunt. Propono DEGNERI Septicum, aut meum Specificum Septicum ad cancrum, quo aliquoties contra BOERHAAVII, optimi mei præceptoris, regulam, usus feliciter sum, quodque ex arsenico certa encheiresi per saturnum fixato constat; at interim commendatur Chirurgus Solingensis veteranus, qui in juventute Indiam Orientalem inviserat; hic vocatus proponit lapidem infernalem; renuo prius; at cum plura afferret exempla aliorum, a se curatorum, tandem licet ægrius admitto; quo septicoprodenter applicato, ac inflammatione inde oriâ per mucilaginosâ semper mitigatâ, datis simul purgantibus, & acrimoniam sanguinis temperantibus, ægra trium septimanarum spatio a scirrbo maligno, quem cancrum occultum jure dixerim, liberata est. --- In literis b. DEGNERI ad b. Parentem sine die & consule, forte 1728 scriptis, ex germanico, ut ejus omnia sequentia, non ornate, sed fideliter, stylo meo versa, hæc occurrunt: *Multas Tibi gratias ago pro amice necum communicato Septico Tuo, ejusque vires ut data occasione periculo subjiciam videbo. Doctrinæ physicæ omnino sane congruum est, corrosivum corrosivo & septicum septico mitigare & obrundere. Et quemadmodum corruptio & putrefactio physica cancri tanquam septicum specificum acidæ naturæ se manifestat, ita etiam ad illud domandum corrigendumque nil melius esse poterit antidoto specifico & septico alcalino. Sed rei cardo vertitur in eo, ut constet, quodnam physicum proprie, & pondere quasi mathematico, si ita loqui licet, talem vim specificam possideat? quippe cum in laboribus chemicis subtilioribus satis superque notum sit, quod non quævis acidâ, & neque vice versa quælibet alcalia, indifferenter & aliud pro alio usurpari adbiberi que, proinde nec a quibusvis iidem effectus exspectari, possint. Idem obtinet in corpore nostro & correctione humorum depravatorum. Et propterea existimo, septica alcalina in affectibus cancri utique bona & proficua esse. Doleo autem, quod Venerandus BOERHAAVIVS Tuam tali de remedio sen-*

B.

ten-



rentiam paulo ægrius tulerit, quum tamen id suæ ipsius methodo mendendi conforme sit: Homines sumus! præteritis adhuc Majo Junioque militem, cui dimidium oris labium inferius in dextro latere profusum derosum, & quod ejus reliquum fuit, cum maxime livido rubore induratum erat, ope septici mei integre curavi. Quod belladonnæ attinet: in cancro occulto & scirrhis induratis dolentibus apud plures ægras certò valde bonos ejus effectus expertus sum. Modo enim antehac memorato adhibita, non tantum mitigat dolores blande & tuto, sed resolvit etiam aliquatenus tumorem, quamvis pedetentim & lente; id ad minimum facit, ut mali augmentum reprimat, quod tunc Patientes multo libentius perferunt, quam excirpationes artificiales. Nec ego quicquam hesito, isto remedio in omnibus ejus censûs casibus prudenter uti. „ Et in litteris d. d. 13 Aprilis 1734 scribit: „Præterito itidemque hoc ipso anno, denuo belladonnæ præclaros effectus vidi. Illustris matrona sexaginta annorum habebat in mamma scirrhum pugni magnitudine, de quo vehementer sollicita erat. Me suasore quotidie belladonnæ bibere debuit, cujus usu per unum annum continuato in tantum decrevit scirrhus, ut nunc æquaret ovum columbinum majus. Semper sibi tamen Patiens metuebat. Suasi ei, ut in Hollandiam proficisceretur, ibidemque Medicos consuleret, eosque rogaret medelam citiorem. Rediit & retulit: Medicos istud, quo usa esset, remedium haud nosse, si vero eum hæcenus effectum ediderit, in ejus usu pergeret dixisse, nec enim melius isto sibi cognitum esse. Eo responso nunc contenta ita assuevit belladonnæ, ut ejus scrupulum unum tempore octidui consumat. Elapsa hyeme puerpera quedam, quæ admodum malâ & durâ simulque suppurante mammâ laborabat, belladonnæ bibit cum effectu optatissimo. Verum equidem est, quod angustias vehementes, scotomias, &c. apud insuetas excitet: si autem initid herba scrupulus dimidius in aquæ copiâ, quantam capiunt decem vascula, Theæ sorbillandæ dicata, decoquatur, taleque vasculum quovis mane ebibatur, ita ut dicta copia spatium decem die-

rum



rum exhauriatur, exinde nunquam sane quicquam noxæ emergere observavi. Si ægræ per aliquod tempus eâ fuerint usæ, insignis illa pedetentim cessat sensibilitas. Quas non & quantas turbas in abdomine excitat nobilis Arnica, si quis vel tantillum, ultra quam ferre queat, sumserit? ab unico vasculo Theato infusi Arnica aliquos novi ita laborasse tanquam moribundos, quorum e numero & ipse sum: neque tamen eâ, propter egregium in praxi effectum, si modo parcâ sed repetita dosi adhibeatur, carere possumus. Fateor multos, tanque egregios belladonnæ effectus me vidisse expertumque esse, ut sæpenumero apud animum constituerim, peculiarem ea de re observationem conscribere. Nec contradictiones propterea aliorum Medicorum me dubium reddent.,

His permotus b. Parens meus aliquot in casibus scirrhorum in caneros degenerantium belladonnam quidem etiam præscripsit, ut tum aliunde, tum ex variis literis responsoriis comperi, in quibus de ægrorum statu relatam est, & mentio præscriptæ belladonnæ fit, plerumque tamen haud solam præscripsit, sed aliis satis efficacibus remediis distinctam. Eos vero casus, & ob hanc consociationis remediorum causam, & quod de historiis eorum saltem fragmenta vel formulæ mihi suppetant, hic longius adducere nequeo; exempli gratia fit sequens:

Domina ---- Ruhrortæ, a scirrho mammæ duro & aspero, pugni magnitudinis, his curata est:

<p>1738 die 25 Januar.                  ℞ mercur. dulc. septies sublim. scrup. ℞                  resin. jalapp. gr. vi.                  cinnab. antim. gr. iv.                  antim. diaph. gr. vi. M. f. pulv.                  cujus doses dentur iv. sign. quolibet                  quinto die sumatur mane unus ad                  laxandum.</p>	<p>℞ panac. Glauber. dr. ℞                  cinnab. antim. dr. j                  antim. diaph.                  nitri antimoniatum                  sperm. ceti aa unc. ℞                  ol. cinam. gtt. vi. M. f. pulv. w.                  xx. sign. quovis mane unus a jeju-                  na fumendus.</p>
--	--

℞ fol.



℞ fol. belladonnae dr. j

solani vulg. manip. iv (a)

flor. papav. err. man. iij

stipit. dulcamar. unc. iij

rad. sarsapar. opt. unc. v

℞ cont. div. in xx p. a. S. quovis mane una portio infundatur cum quarta parte Mensuræ (sive unciis decem) aquæ fervidæ & semel ebulliat, & colatura ebibatur mane post sumtum pulverem.

℞ empl. de sperm. ceti unc. ij. d.

die 5 Febr.

℞ mercur. dulc. septies sublim. dr. ℞

resin. jalapp. gr. xxi

cinnab. antim. gr. xii

antim. diaph. gr. xviii, M. f. pulv.

nr. iij

S. quolibet quinto die fumatur mane unus ad laxandum.

die 12 ejusd.

℞ mercur. dulc. sept. sublim. scrup. ℞

athiop. miner.

antim. diaph. aa gr. vi

resin. jalapp.

diagryd. sulphur. aa gr. iv. M. f.

pulv. nr. ii S. Nuperis consumtis,

quolibet quinto die unus fumatur mane ad laxandum.

℞ panac. Glaub. scrup. j

cinnab. antim. dr. j

antim. diaph.

nitri antim.

sperm. ceti aa dr. iij

ol. cinam. gtt. iij. M. pulv. nr. xiv.

S. quovis mane unus fumatur.

℞ fol. belladonn. scrup. ij

solani man. iij

flor. pap. err.

violar. aa pug. vi

stipit. dulcamar. unc. iij

rad sarsapar. opt. unc. iv. Inc. div.

in xiv p. a. s. ut antea.

℞ empl. de sperm. ceti unc. ij.

die 28 ejusd.

Reiteretur empl. & pulv. temperantes

die 12mo huj. præscripti, nr. viii. S.

quovis mane unus.

die 18 Martii

℞ panac. Glaub. dr. ℞

mercur. dulc. sept. subl. dr. ℞

sachari albi dr. ij

ol. cinamom. gt. v.

antim. diaph.

nitri antim. aa unc. ℞

cinnab. antim. dr. j. M. f. pulv.

nr. xx. S. quovis mane fumatur unus.

℞ fol.

(a) Quæ de solani vulgaris seu hortensis efficacia dein expertus prodidit cl. GATAKER in *obss. on the internal use of the Nightshade*, Londini 1757, qui tamen dosin ejus in infuso, a grano uno sensim ad grana sex augendam, restringit, carptim legi possunt in *Comment. de Rebur in Med.* Vol. vii. pag. 717. sqq.



ꝛ fol. belladonna nr. x. S. quovis mane, horâ post sumtum pulverem elapsâ, dimidium folium cum Thea infundendum & instar Theæ bibendum.

ꝛ pulv. cordial. cinnabar. cum ol. cinamomi unc. ß. S. aliquantisper post bibitum infusum sumatur quantum capit cuspis cultri.  
Reiteretur empl. de sperm. ceti.

Hanc feminam post quindecim annos transiens urbem, quo se habitatum contulerat, vidi ego & salutavi optime sanam.

Quum hæc ita sint, subijciam potius excerpta ex aliis literis b. DEGNERI ad b. Parentem d. d. 19 Augusti 1738, ubi ait: *Observationes meas de salutari belladonna virtute concinnare quidem, & Actis Naturæ Curios. inserere volui, sed identidem impeditus fui. Quum vero Tu, Vir Cel. inauguralem ab aliquo Candidatorum Tuorum conscribendam Te moderatore dissertationem ista de re mediteris, symbolam meam lubens confero.---- In epistola cl. D. JUNCKERI anno 1727 aliam ob causam ad me datâ sequentia adhuc deprehendo verba: „belladonna constans ex qualitatibus mucido-terreis & sulphureo-vaporosis forma decocti in duobus agris sanavit, cancerum verum in mamma, & ulcus cancrorum in lingua; questio: ex quibus principiis & quo operandi modo physico-mechanico? „ Methodus propinandi Hale fuit ejusmodi: „ præmissis digestivis, laxantibus, & si plethora adest, venæsectione celebratâ, sumebant novem folia, aut secundum pondus drachmam unam belladonnæ, coquebant eam in mensura una cerevisiæ circiter tamdiu, donec ovum coctione indurescere potuisset, hujusque decocti dabant singulo mane ægro jejuno cochlear unum eâ cum cautelâ, ne dormiret, sed motu se paululum exerce-ret. Altero mane dabant duo cochlearia, & solícite attendebant, ne æger obdormisceret, quin potius integre vigilet maneret. Si æger a duobus cochlearibus haud somnolentus feret, tunc die tertio dabant tria cochlearia, & sic porro tria quotidie cochlearia æger sumere debuit. Unicum autem cochlear si ægrum efficeret somnolentum, tum intra hujus dosis limites subsistebant, & quo-*



quotidie repetebant, cum ea identidem cautela, ne eger in somnum  
 incidere, sed urique vigilaret. Quoniam vero hæc methodus  
 aliquantum diffusa incommodaque mihi esset, eam haud secutus sum,  
 ast sequenti modo curam adornavi. Primum saltem adhibebatur  
 Laxans mercuriale, tum præbebam foliorum belladonnæ initid scrupulum  
 dimidium, ut natura ei assuesceret, dein grana quindecim,  
 tandemque scrupulum unum, & decoqui faciebam per octavam cir-  
 citer horæ partem in eâ aquæ quantitate, ut decocti novem fere vel  
 decem vascula Theata superessent. Id decoctum indebatur vitreæ  
 lagenæ, & quotidie vasculum unum decocti parum calefacti mane  
 jejuno stomacho ebibi debebat, posteaque corpus modice moveri. Hoc  
 quotidie assumebatur, continuâque serie per duos, tres, sex, octo  
 menses, excepto tempore fluxûs menstrui, quo durante feriebantur  
 a decocto. Hoc solum, nec aliud quicquam internum vel externum,  
 adhibui. Tali modo & parvi & magni scirrhi in mammis unâ cum  
 doloribus conjunctis sensim disparuerunt, ita ut plures quam Vi-  
 ginti Aegras recensere possem, quæ per illud sanatae sunt, absque  
 eo, ut effectum quendam adversum observarim, exceptâ modo vir-  
 gine, quæ post primam dosin tam anxiosa tamque animo confusa fiebat,  
 ut morituram se crederet, quod tamen incommodum elapsis duabus  
 horis cessabat; cumque postmodum medietatem saltem ordinariæ do-  
 seos sumeret, ab anxietate ista permansit libera. Audacter ad ex-  
 perientiam meam, Vir Cel. provocare poteris, quod in scirrhis mam-  
 marum nunquam sine successu eam adhibuerim, quemadmodum &  
 nunc quoque aegras habeo, quæ cum emolumento eâ utuntur (β). In  
 Cancro exulcerato similiter quidem eam præscripsi, sed conjunctis  
 aliis remediis in- & externis; tunc vero nihil certi dici potest: nam  
 ita censeo, quod, qui Simplicis virtutem veram & constantem ex-  
 plorare

---

(β) clar. DEGNERUS hæc, & novis postea successibus aucta, mihi  
 oretenus confirmavit, quum Optimum Senem anno 1753  
 Neomagum Gelrorum transiens salutarem: fuit autem b. DEG-  
 NERUS vir probus atque verax.



plorare velit, solum illud adhibeat, necessum sit. Hac occasione commemorabo, me invenisse vile, vulgare & veteribus medicis bene cognitum remedium, cujus solo externo usu admodum ingens, vehementer dolens, & in veram ulcerationem tendens cancer mammae sic dictus occultus, non tantum ita mitigatus fuit, ut dolores & inflammatio disparuerint; verum etiam magnitudo scirrhusae duritiei spatio unius mensis ultra duas tertias totius molis partes amisit & decrevit, ita ut de felici successu non dubitem, & opiner me postea forsitan supersedere posse belladonnae usu, quod illa curatio non solum brevior, sed tuta etiam & commodior sit. Mirandum est, nobis virtutem ejus, quod saepe manibus quotidie tractamus, tam altis inscitiae tenebris offusam esse. Eo jam, extra patriae nostrae fines, praestita sunt memorabilia, quin in ipso exulcerato cancro, & ego forte fortunam Empirico insidiatus id edoctus sum. Observavi, quod apud egram meam parum liquoris serosi per papillam exstillet, quod notatu dignum est.

Verum haud prodiit, quae animo concepta erat, moderratore b. Parente meo, de solani nostri virtute, Duisburgi conscribenda tractatio; sequentis autem anni 1739. Septembrii Halae Magdeburgicae habita fuit dissertatio de belladonna tanquam specifico in cancro, imprimis occulto, praeside b. Mich. ALBERTI, & auctore clar. Ferdinando Christophoro OETINGER, Goppinga-Würtembergensi &, nisi me opinio fallit, in Academia Tubingensi nunc Professore Practico, in qua dissertatione multa quidem experimenta physico-chemica de plantae ejus partibus constitutivis & docta ratiocinia de ejus viribus §. 1-27, modum autem, quo herba tam periculosa dubiaeque virtutis in usum vocari queat, haud sufficienter declaratum invenies §. 34-36. Quod ne utique vitio verti debet cl. OETINGERO, utpote qui relata sibi retulit fideliter & caeteroquin laudabiliter egit. Cl. Auctor modum autem utendi profert sequentem, eumque narrat sibi communicatum esse a Medico quodam Amico



Amico suo, edocto eum a *b. Dno SPAETH*, & sibi confirmatum a *cl. IUNCKERO* §. 28. Præmissis generalioribus, venæ-  
 sectione & purgantibus adpropriatis, rheo, mercurio dulci,  
 pilulis balsamicis Stahlianis, helleboratis, & herbæ quantum  
 satis (γ) pro decocto modice saturato, & paratur leni ebulli-  
 tione decoctum: hujus primo die mane præbetur cochleare  
 unum, altero die duo, tertio tria cochlearia, & sic dosis au-  
 getur tam diu, quam æger nullam sentit propensionem ad  
 somnum, quamprimum vero somnolentia aliqua sentitur,  
 substituitur in eadem dosi, & continuatur per novem, duode-  
 cim, quatuordecim dies, impedito solícite per ambulationem  
 aliasque operationes somno. Transacto hoc curationis ter-  
 mino, eodem denique ordine descenditur, & in totum finito  
 iterum primæ viæ purgentur, quod optime iis succedit, qui-  
 bus simul tonica vis inest, ut stupor forsan intestinis per lon-  
 giorem hujus decocti usum inductus, remittat, & tonus re-  
 stitatur. In ipso vero curationis hujus termino ab aliis me-  
 dicaminibus abstinendum est, nisi sicciior alvus requirat le-  
 nientia. Si primæ curationi non cedat atrocior affectus, al-  
 tera vice iterandus est usus, & si tantum aliquid levaminis  
 attulerit, tertia vice repetendus; plerumque vero primo ter-  
 mino præterlapso symptomata mitigari dicuntur, ut de even-  
 tu,

---

(γ) Nempe dosis haud definita est. Unde etiam *b. HEISTERUS* de  
 hac dissertatione questus est, & de ægra quadam refert, cui quis  
 Chirurgus tale quidem propinaverit decoctum, quæ inde vero  
 per aliquod tempus amens, neque a cancro suo liberata fuerit,  
*Instit. Chirurg.* Tom. I. cap. de Cancro, edit. Amstelod. 1750 p. 337.  
 Eandem imperfectam formulam *cl. Jo. Phil. BERCHELMANN*,  
 Giessensis præfidiarii militis Physicus, ex literis *b. Dni D. SPAETH*,  
 ad Medicum quendam regionis illic vicinæ olim scriptis, licet  
 & ipse opportunitatem experiundæ belladonnæ nondum adeptus,  
 de publico tamen bene merendi cupidus, communicavit  
 in der Abhandlung vom Krebs, Frankfurt 1756, 8vo. pag. 48.



tu jamjam formare liceat prognosin: sic sensim sensimque dolores remittere, color evanescere, tumor dissipari & ægro sanitas integra restitui dicitur. §. 29 sistit mammam exulceratam cancrösam in muliere 42 annorum, cui jam cessarant menses, prima vice belladonnæ usu sanatam, post longum tempus denuo acerbius afflictam, frustra nunc belladonnâ tentatam, ope tamen mercurii dulcis fugato malo sanitati restitutam, §. 30 Linguae cancrum ulceratum in juvene 20 annorum, solani nostri decocto curatum, utrumque casum ex *cl.* IUNCKERI experientia, qui simul etiam addidit, se nonnunquam sine illo effectu adhibuisse. §. 31. exhibet scirrhum five cancrum occultum in mamma feminæ 36 annorum, ante annum puerperæ, & interea catameniis destitutæ, post alteram decocti, ad supradictum terminum, repetitionem feliciter discussum. §. 32 narratur durus cancrösus nodus in mamma virginis vigintiquatuor annorum, bene menstruatæ, post tres decocti repetitiones pertinaciter perdurans, mercurio dulci demum victus esse: & §. 33. monetur, quod inde pateat, quamvis belladonna non semper scirrhis cancröscentibus tollendis par sit, tamen eâ prius usurpatâ, feliciter adhiberi mercurium dulcem, alias absque præmissa belladonna, ut hic innuitur, valde suspectum illum; tandemque additur, quod mercurius in minima dosi per longius tempus continuari & salivatio impediri debeat, dando nempe per triginta pluresve dies quavis vespera grana duo mercurii dulcis cum pulvere absorbente & omni mane lene laxans, utpote cui curationi plerumque cedere soleant pessimi morbi, ulcera phagedænica, cancriformia, venerea, parotides, scirrhique indurati §. 39. Hæc sunt potiora, quæ breviter excerpta esse censui, argumenta dissertationis, quæ non ita ut meruit & dignitas rei postulabat, saltem paucissimis in Germania per sat longum tempus, Exteris autem hucusque vix, innotuisse videntur.

C

tur.





tur (d). Quamobrem non mirandum est, ipsius belladonnæ lau-

(d) Multo minus vulgo innotuit lectu digna similis fere argumenti dissertatio, quam anno itidem 1739 edidit b. Andr. Ottomar. GOELICKE, cel. tum Francofurtanus ad Viadrum, olim vero Duisburgensis Professor, de Onopordo carcinomatis averrunco. Cujus tandem conscribenda GOELICKIO primam ansam præbuisse videtur b. Parens meus. Scilicet pridem memoriæ prodiderat Petrus BORELLUS *Obs. med. cent. 2. obs. 51.* rusticum quendum a narium cancro, plantæ vulgaris succo solo, qui sæpe admoventi debuerat, imo & herba contusa, liberatum fuisse, quam plantam is ab alio, qui plures ejus ope curaverit, fuerat edoctus: erat ea Onopordon. Et illustris STAHLIUS, de experimenti Borelliani fide atque successu nihil dubitans, candide edisseruerat, se incipientem faciei ulcerationem cancrifam succo ejusdem hujus plantæ intra quatuordecim dierum spatium percurasse, cum antea & sui ipsius & aliorum quoque in arte peritorum auxilia pertinaciter respuisset, sicuti JONCKERUS in *Conspect. Chirurg. cap. de cancro* commemorat. Quod idem, hos Viros imitatus, in litteris, quas ad me, hæc ait cl. GOELICKE §. 13. dictæ dissertationis, ante complures jam annos dedit D. D. TIMMERMANNUS, Prof. Med. in Academia Teutoburgensi famigeratissimus, mihi confirmavit, fidemque fecit, quod simplicissimo hoc & ubivis obvio remedio patientem cancrifam faciei ulcere laborantem plenissime restituerit. Cujus casus quoniam paulo pleniorum adeoque pro utilitate magis demonstrativam mentionem reperio in D. Petri ROSS *diss. inaug. de Cancro pag. 21.* Duisburgi 1727 ventilatâ, sequentia ejus verba hic adducere juvabit: *plura ergo quasi specifica dari ad cancerum satis evicimus, sed quoniam solis fide dignioribus experimentis assertum nostrum extra dubium ponere, ac nobis notiora adducere tantum constituimus, age accedat adhuc nobilis observatio de Cancro in facie, qui jam totam fere genam, dimidium nasum, saccum lacrymale, oculi palpebras & vicina, imò tandem ipsam oculum sinistram maleris fere quinquagenaria jam eroferat. Hæc a quinquennio hoc malo laborabat, malumque phaeoli magnitudine sub cantho oculi interno inceperat. Hæc plerorumque Medicorum & celeberrimorum chirurgorum remedia omnia frustranea experta erat,*



laudes, tametsi limitibus suis circumscribendas, tamdiu silentii populo involutas mansisse, donec clar. *Tiberius* LAMBERGEN, medicinæ Professor jam Grœninganus, antea Franequeranus, interprete, suo tum ibidem Collega simulque Archiatro Arau-  
sionensi, Professore dein Leidensi, (cujus me insigni humanitate & favore exceptum, lectionibus item clinico-practicis aliquamdiu interfuisse, dum olim Leidæ commorarer, gratus recordor,) *ὄν τῶ παρασίτῃ* clar. *Friderico* WINTERO.

C 2

RO.

erat, etiam salivationem sine fructu passa, tandem adhibitus D. Prof. TIMMERMANN rabiem Cancri stitit solo simplici euporisto vegetabili, nempe succo Cardui, qui Onopordon, vel Acanthium DODONÆI dicitur. Observationem Borellianam hoc novo experimento a celeberrimo meo Præceptore comprobata esse, forte Practicis nec ingratum nec inutile fuerit., Sic monitus cl. GOELICKE, quæ suis auspiciis Onopordi succo feliciter peractæ sunt, duas curationes exponit, alteram §. 14. in femina, quæ cancroso ulcere in sinistra colli parte laborabat, & alteram §. 15. carcinomatis labii superioris in Coriario. Respectu tituli dissertationis addere debeo, quod b. GOELICKE Carcinoma vocarit ulcus cancroideum, quod plerumque carnosas partes, etiam cartilagineas & tendineas, infestat; Cancrum vero exulceratum, quod mammas præcipue affligit: Non ad hunc, quia nullam habuit id comprobantem experientiam, sed ad Carcinoma quadrare laudatum succum notat. Diētis jun-  
gendus erat *illustris* ELLERUS, Regis Borussia quondam Archiater, qui eundem Onopordi effectum in ulcere cancroso faciei, ad votum in duabus feminis expertus est, ut testatur in *nüßlichen und auserlesenen Anmerkungen* pag. 58, simul autem monet, frustra illum effectum expectari in mammarum cancro: ex quibus concludit, cancroso exulcerationes, afficientes cutem externam seu papillulas cutis nerveas, longe benignioris indolis esse illis, quæ profundiores & glandulosas partes arrodunt. Fere supervacaneum est, quando innuo, quod per Onopordon intelligatur *Carduus tomentosus acanthi folio vulgaris* T. *Spina alba tomentosa latifolia sylvestris* C. B. *Onopordon foliis decurrentibus margine spinosis* L.



RO (e), Udemia-Cliviaco & ex primis discipulorum b. Parentis mei, certior redditus de prosperis curationum successibus, quos ex belladonna adversus inveteratos mammarum scirrhos usurpatâ habuerat b. DEGNERUS, facto semel anno 1745 feliciter periculo ederet 1754 *Lectiorem inauguralem, quæ sistit Ephe-meridem persanati Carcinomatis* (Grœningæ, 4to), & veram tu- tamque dosin commodamque, id est Degnerianam, metho- dum primus promulgaret, propterea, & ob bene merendi studium, laude dignissimus. Mulier scilicet 34 annorum car- cinomate, exulcerari incipiente, & maximis doloribus stipa- to, præterea scirrhis in altera quoque mammâ laborans, li- berata fuit istis tremendis malis ope infusi foliorum belladon- næ per quinque menses bibiti, ita ut primum infusum saltem granorum duorum, postea gr.  $3\frac{1}{7}$  quotidie assumeret, majo- rem enim foliorum dosin ferre non potuit. Notatu dignum est, mulierem diuturno & quotidiano usu nihil fere adsuevis- se Solani infuso, sed eadem symptomata, perinde fere gravia, nempe oris siccitatem, vertiginem, visûs obnubilationem & quandoque titubantiam, expertam esse ex eadem dosi, quam quæ ante tres menses inde percipiebat, adeo ut dosin notabi- liter augere nunquam ratum duxerit *clar.* LAMBERGEN, qui tamen homines novit, qui Opio sensim ita adsueverunt, ut dosin plus tricies auctam innoxie non tantum, verum abs- que optato effectu ingererent; vidit enim devorantes unica vice

- (e) In literis b. WINTERI ad b. Parentem meum d. d. 17 Nov. 1742 lego: --- D. D. DEGNER *Neomagi mihi eximie deprædicavit usum in- ternum belladonnæ in cancro nondum exulcerato, & mirifica per eum se peregrisse restatus est, addens, quod Tibi, V. C. communicarit bi- gam casuum, in quibus veri cancri per resolutionem eâ prorsus curati fuerint. An ex Te quarere licet, quid de ejus effectu observaris, & num usus ejus, si quotidie ex. gr. duo grana formâ infusi clarentur, sine ulla noxa per longum continuumque tempus produci possit?*



vice ultra drachmam unam opii. Durante usu belladonnæ non tantum menstrua, quæ antea justo parciora fluxerant, cum interponerentur emmenagoga, largiter prodire, sed etiam ichor subflavus, quandoque lentus puriformis ex mammae ulcusculis prodiit, & subinde in corporis præcipue artuum cute, elevatâ cuticulâ, vesicæ & bullæ lymphâ plenæ apparuerunt similes eis, a vesicatorio excitatis, graviter dolentes. Ægra dicto temporis spatio ultra drachmas sex venenatæ hujus herbæ in infuso absumpsit, & per totum dein elapsum octennium sana permanfit.

Tum & ego tentavi aliquando usum belladonnæ in Cancro, cum maximis doloribus, valde fungoso, qui post excisionem scirrhi cancræscens, haud radicitus extirpati, ex eadem dextrâ mamma feminae 36 annorum enatus, figuram tandem summitatis brassicæ caulifloræ, racemosus quasi, nanciscebatur. Ad eam advocabar duobus ab operatione scirrhi mensibus elapsis. Nolebam solus medicationis quicquam in me suscipere, quoniam extirpationis impossibilitas in morbo alte fundato, ejusque insuperabilis magnitudo me absterrebant, sed adscitis simul in consilium aliis præclaris Medicis tum ex vicinia tum per literas. Quorum è responsoriis ad me datis, epistolam saltem b. JUNCKERI, priusquam, quid cum ægra factum sit, referam, hic inferendam esse putavi sequentem:

*Magnam quidem, Vir celeberrime! ex litteris Tuis percepi delectationem; exarata enim sunt puriore scribendi genere, & adfectu perquam humano: quam maxime autem doleo terrificum illarum argumentum, morbum scilicet Matrone honoratoris vere cancerosum & exulceratum. Quæ corruptio tam altiores jam radices egisse videtur, ut de illius extirpatione multis respectibus dubitemus. O quam vellem, Vir clarissime, si modo possem explere, desideria Vestra! Arcana non amo, mihi soli nihil reservo, ad inserviendum aliis nos esse natos, optime novi. Quare ad ea Tecum, Vir celeberrime*



*herrime! communicanda accedo, quæ de Bella Donna post Dissertationem 1739 in lucem editam, porro mihi innotuerunt. Bella quidem est hæc Donna seu formosa Domina, & principem inter remedia contra Cancrosas corruptiones locum etiamnum, quod sciam, tuerur: medicorum autem est, ut illius consuetudine multâ cum circumspeditione utantur. Blanditur enim aliquando & assentatione sua incautos decipit. Femina quedam mediocris ætatis laborabat unquam cancro occulto, pugni magnitudinis & insignis doloris: quum infusum hujus herbæ aliquot hebdomadibus propinasset, complete cæca evadebat. Obstupescebam, usum abrumpens & ex re ipsa consilium capiens: videlicet orgasmum sanguinis contemperando, donec octo dierum spatio visus recuperaretur. Profecto! si istius infusi usus plurimam tumoris partem non removisset, nec dolores multum sedasset, nunquam ausus fuisset, reassumere & continuare istud infusum; excitabant autem me jucundi isti effectus, ut de novo propinarem. Cumque morbus fere totus profligatus esset, eadem scena ludebatur, accidente nova cecitate. Jam non magis timebam, sed iisdem remediis antorgasticis symptoma istud tædiosum profligabam; ac tum quidem tertia infusi repetitione id, quod de tumore reliquum erat exiguum, feliciter removebatur. Interno hujus formosæ Domine usui addere soleo nonnulla externa: campborata quidem eâ methodo, quæ pag. 308 seqq. in Conspectu meo Chirurgico indicata est; ad corruptionem autem puridam, in aperto Cancro inhibendam, parcius instillare soleo Essentiam Myrrhæ & Succini cum Oleo Ovorum distemperatam, ne dolorem excitet. Hæc fuere hucusque, & etiam porro erunt præsidia mea contra cancrum & reliqua ulcera cancroïdea: Sed jam paullulum novi addere conveniet de jucundo effectu Croci martis antimonialis STAHLII, quem aliquoties observavi; scilicet adpersus talibus ulceribus dispersit factorem, cohibuit nimium feri effluxum, & promovit materiam revera laudabilem. Itaque meretur ulteriorem attentionem. Ceterum satis notum est, quod ad doloris mitigationem egregie conducant blanda dia-  
pnoica*



*pnioica & diuretica: quid autem cultellus chirurgicus passim utilitatis adferre possit, non absens, sed præsens Medicus judiciose discernere potest. Beatus DEGNERUS nunquam, quum viveret, illius arcani (C), de quo, honoratissime, litteræ Tuæ referunt, mentionem fecit, licet intimæ admissionis apud eum fuerim. Vale & fauve, Vir celeberrime. Dabam Halæ Magdeburgicæ die xxvi Septembris MDCCLVIII.*

Inte

(C) Conf. supra pag. 15. litera DEGNERI. Cujus quamvis spei, de inominato ibi remedio, belladonnæ forsan præferendo conceptæ, postero tempore haud respondisse videatur, quo nempe, antea *cel. b. WINTERO*, dein quoque mihi, solam belladonnam deprædicavit; non tamen pigebit conjecturam de eo facere probabilem, nisi forsan conjecturati novitas obstet. Haurio eam ex epistola, in ipsiusmet hujus agræ causâ, ad me responsoria D. D. *Henr. Adolphi FABRICII*, Præctici Colonienſis præstantissimi & celeberrimi, atque ex discipulorum b. Parentis mei optimis, ubi inter alia sic scribit: --- *Dn. Francisc. Nicol. MARQUET*, quondam Archiater Ducis Lotharingiæ *LEOPOLDI*, in cancro aperto & ulceroso, in ulceribus fungosis & carcinomatosis, in carbunculo & gangræna, tanquam fere infallibile habuit laudavitque *Sedum vermiculare* minimum flore luteo, quod apud *L'EMERYUM* Illecebra audit, & locis saxosis juxta cum arenosis crescit, estque saporis acris urentis, neutrquam autem acidum, ut reliquæ Sedi species, continet salem, sed alcalicum, quo igitur humores acres acidos corrigere possit. Usus herbula est, ut probe contusa in pulpam, misceatur cum pauculo olei Lini, & sic instar cataplasmatum quotidie ter vel quater applicetur. Verum virtutes ejus tantopere deprædicatas haud deprehendere potui, licet ulcus abs eo purificari fungosamque excrescentiam diminui aliquantum, quin imo viderim, quod per ejus usum scirrhus mamma multo minor evaserit. Interim tentari posset per aliquot dies, an fungosa excrescentia duritiesque labiorum ulceris exinde in melius converterentur., *Cel. autem CRANTZ* in *Mat. med. Tom. II. p. 52.* ait: *Sedum flore albo* multum contra cancrum, ubi etiam inutilis citata fuit, extollit ex observatione *cl. QUESNAY*, atque id ipsum est *Sedum minus teretifolium album C. B.* non *Sedum parvum acre flore luteo J. B.*



Interim consultum erat, in tam gravi, imo desperato morbo, dubiam præstare medicinam, quam nullam. Habebam folia belladonnæ eâ ætate siccata: pondus folii siccati parvi erat granorum 4, mediocris 5, magni 6 granorum. Quovis mane in principio grana duo, postea duo cum dimidio aut  $2\frac{2}{7}$ , cum aquæ duobus circiter vasculis theatis ad modum Theæ, addito melissæ vel citrei pauculo, fervide infundebantur, tepidumque infusum partite ebibebatur. Præmissis nempe lenibus laxantibus, & his dein & adversus magnos dolores noctesque insomnes anodynis ex necessitate interpositis, quum 27, 28, 29 Augusti catamenia rite fluxerant, 30 auspiciam cum belladonna factum est. Eamque bibit ægra a dicto xxx Aug. usque ad vii Decembris 1758, id est, per tempus circiter Centum dierum, ita quidem ut series utendi non esset quotidiana, sed subinde per aliquot dies interrumperetur ex variis causis, aut experimenti ergo aut symptomatis alicujus aut applicationis paucorum externorum remediorum. Dies intermedii, quibus feriata fuit ab infuso belladonnæ, simul computati fuerunt viginti quinque vel sex. Per reliquos septuaginta quinque dies bibit summatim drachmas tres belladonnæ, de cujus effectu in ægra mea hæc notavi. Quocunque die sumfit belladonnam, haud diu post bibitam eam, forte dimidia quum effluxisset hora, exoriebatur in faciei gena semper sinistra insignis rubor sive phlogosis cum sensu caloris, qui se dein in brachium manumque sinistram diffundebat, & aliquando totam denique faciem occupabat. Iste rubor (pro quo primis duobus diebus, quibus auspicabatur belladonnam, stria saltem purpurea, fere pollicem lata, ex genâ sinistra versus frontem excurrens, cum phlogoseos ibidem sensu, conspiciabatur), per duas plerumque, rarius tres, horas durabat, & tunc ut plurimum finiebatur cum sensu membrorum formicante, ac si formicæ per artus discurrerent. Rubor autem ille  
faciei



faciei, quum per plures hebdomades solanum nostrum bibisset ægra, semel iterumque & denuo emanfit, tumque subsequenter eum aliàs caloris vix quicquam sensit ægra. Fere quotidie, & præsertim initiò magis, posthæc minus somnolenta torpidaque fiebat, & oculos suos, utut raro, aliquando tamen, haud quidem vertigine, sed miro, quem vix exprimere norat, aut quasi nebuloso modo affici dicebat, interdum etiam paulum dolere, qui autem contemplanti mihi nihil insoliti ostendebant. Subinde nullam prorsus somnolentiam vel ex eadem, vel quæ consuetam aliquantum excederet, dosi experiebatur. Quum belladonnam, quod jam sero dilucescebat, bibere soleret mane inter nonam decimamque horam, & a calorifica sua exinde ortâ vultûs phlogosi ante horam post meridiem secundam prorsus liberari, primum per incuriam famulæ custodis, dein, quoniam ægræ commodo fieri viderem, meo permisso post meridiem horulam suaviter dormiit, & quum evigilasset, mens alacris erat; si vero somnus postmeridianus impediabatur, per reliquum diei torpida & tristior erat. Ex quo patet, cautelam illam supra toties inculcatam de impediendo somno usquequaque haud esse necessariam, saltem ex neglectu illius apud ægram meam noxæ nihil emersisse. Si vero, dum sæpe dictus ille faciei calorificus rubor adhuc adesset, dormiturire inceperat, tunc non bene dormivit, sed somniavit, somniansque loquuta est paulum delirè. Fungus canerosus, qui jam ante usum belladonnæ cum celeri & insigni augmento quotidie magis propullularat, durante plantæ nostræ usu perrexit augeri in tuber, quod duos fere complicatos pugnos adæquaret, a quo subinde partes per purificationem ichorosam, purisque laudabilis expertem, itemque per putredinem mortificatæ abscedebant. Ex fungoso hocce ulcere pro modo, quo crescebat fungus, stupenda simul &

D

incre-



incredibilis copia tenuis ichoris quotidie promanabat, etiam continuans post omissum dein belladonnæ usum. Unde non mirum videri poterat, sub quotidiano fungi augmento tantoque ichoris profluvio menses prorsus emanasse, quamvis solicite adhibito juyamine medico, urinam etiam solito & sudorem parciora fuisse. Dum autem viderem, quod apud ægram meam nil proficerem, belladonnæ usum omittendum esse rebar, quum exinde generatim neque dolores mitigati fuerint, sed per priores hebdomades modo aucti, ut in *clar.* LAMBERGII observatione, modo tranquillati per additum semen papaveris albi; dein aliquando moderatiores visi, subinde revera sedati, tum per posteriores hebdomades indifferenter grandes, sive solanum bibisset ægra sive non bibisset, & interdum per eos dies, quibus non bibit eam, grandiores fuerunt; & postquam desisset bibere solanum, cum morbo, quocum postea adhuc ultra tres menses conflictata est, curâ unice palliativâ tractato, miserabiliter crevere, donec optatum inter cancrsam phtisim cum vita finem denique sortirentur.

*Le Cancer ne se guerit point, & ne se guerira  
jamais. GUY PATIN, Lettre 360.*

Eodem tempore ferme ejusmodi ichoris profluvium, dolorum vicissitudinem, mensiumque defectum patiebatur alia ægra, quam aliquando viseram, virgo paupercula, 26 circiter annorum, remediis, si domestica exceperis, destituta, quæ habebat fungum cancrsam, altâ duritie fundatum, duos pollices infra sinistram mammam, sanam eam, ex cute prognatum, formâ disci convexi fere spithamam per diametrum lati, crassoque pedunculo sustenti, ab imperito chirurgo, quemadmodum ille ægræ meæ supra dictus ab alio, sectionibus aliisque pessime & insanabiliter lacescitum.

Lau-



Laudata *cl.* LAMBERGII observatio excitavit interea varios Medicos, imprimis in Gallia & in Hollandia, itemque in Anglia, Londini præsertim Chirugos, ad explorandum vires belladonnæ, experimentorumque eventus fuerunt admodum discrepantes. Dum enim Chirurgi Londinenses putarent, belladonnam aptam videri ad superandum quosvis rebelles præsertim cutaneos morbos, experti eam sunt inutiliter in plerisque malignorum ulcerum casibus, ut testantur *Thomas* GATAKER & *Wilhelmus* BROMFIELD; de scirrhis autem mammarum, in quibus usurpassent, qui proprie ille morbus est, in quo *b.* DEGNERUS & imitatus hunc *cl.* LAMBERGEN id remedium commendarant, quantum quidem ex Tractationum, quas lingua Anglica edidit, & in quibus uberius de aliis Solani speciebus a se usurpatis agunt, Excerptis discere mihi licuit, vix aliquas observationes habent. Ibi enim *Dnus* GATAKER (f) dicitur referre saltem exemplum ulceris in mamma, quod non sanatum fuit per belladonnam ad tria grana bibitam. Paulo copiosior esse videtur *cl.* BROMFIELD (g), qui in duris mammarum nodis inutilem eam fuisse, visus autem hebetudinem, imo cæcitatem temporariam eamque aliquot mensium, aliasque noxas induxisse, ciborum etiam prostravisse tradit appetentiam, quæ tamen in ægra mea sub usu vigeat optime. Quem successum habuerit in Hollandia, duo sequentia edoceant testimonia: alterum publicum *Dni Jacobi van der HAAR*, Chirugi Sylvæducensis in Tractatione belgice 1761 edita (h), ubi ait: „per unicam illam à *Dno* LAM-

(f) *Comment. de rebus in hist. nat. & med. gest.* Vol. VII, pag. 717 sqq. Götting. Gel. Anz. 1758. St. 148. p. 1402. sqq.

(g) *ibid.* Stück 151. p. 1426. sq.

(h) *Verhandeling over de Klier-Knoest- en Kanker-Gezwellen, en over de Cicuta*, Amsterdam, 8vo. pag. 25.



BERGEN publicatam observationem belladonna ad scirrhos cancrisque curandos magnam famam in Hollandia adipiscatur, sed crebra cum eâ inutiliter factæ periclitationes causâ fuerunt, ut mox oblivioni traderetur. Alterum testimonium privatum est Cel. medicinæ Professoris Grœningani, Gualteri van DOEVEREN, qui ab Amico quodam Medico, anno 1762 meo petitu hac de re interrogatus benevole respondit: „belladonnæ effectum salutarem in sanando Cancro Aperto nunquam vidi: neque aliis in hac regione, quantum multa indagine expiscari potui, optatum successum præbuit illud medicamentum.

Cel. Anton. de HAEN (i) ex suis observatis belladonnam accusavit, quod sanguini ingeneret diathesin inflammatoriam, adeoque proventum puris augeat. Dedit enim exacte secundum formulam herbam hanc infusam quatuor feminis, quæ aut scirrho aut cancro aut carcinomate maligno laborarent. Præter dolorum augmentum, præter vertigines & *αυθλοωπία*, per aliquot ab assumpto remedio horas, quotidie toleratas, qui tecti scirrhi aut cancri fuerant, sponte aperiebantur, pusque bonum fundebant; Canceri vero qui antea aperti fuerant, pro ichore copiosum pus dederunt. Spem utique hoc in principio fecit. At vero prodiit demum puris copia tanta, ut per pavementum deflueret, ne quidem repagulis ex stupa, mammæ circumpositis, coercenda, ut demum pene extinguerentur duæ feminae; cancro interim æque maligno conspecto. Binæ vero aliæ, quod brevioris temporis spatio infusa hac herba uterentur, minus male ab eadem multatæ fuere; sed perinde ac priores duæ, nullam cancri emendationem adeptæ. In ægra equidem, cujus supra memini, stupen-

---

(i) *Ratio Medendi*, Parte 2, cap. 2, p. 36. 37. edit, Vindobon, 1760.



stupendum ichoris, vix autem unquam veri puris effluviū observavi, & quum die xxviii Octobris, postquam ægra per multas jam hebdomadas bibisset nostrum solanum, sanguinem ex secta in pede vena exciperem, nullum vestigium diatheſeos phlogisticæ in eo deprehendi, quippe qui nihil insoliti, vel a sano diversi, ostendebat, nisi forte colorem, qui obscure rubicundus erat, reprehendere volueris.

Quicquid sit, in Gallia efficacitatem suam belladonna feliciori aliquoties cum eventu exseruit, quamvis, ut id præmoneam, appareat ex fragmentis duorum tentaminum, quæ mihi 1758 retulit *clar. Dnus ANDOUILLÉ*, Vir doctus, Medicus & Chirurgus in Exercitu Gallico, quod ea egerit ibi vel ambigue vel nocenter. Nimirum narrabat Vir cl. sibi, quum adhuc Parisiis fuisset, innotuisse, quod duabus feminis, quæ scirrhis cancreſcentibus mammaram laborarint, a Medicis Parisinis belladonna juxta publicatam Professoris Hollandici præscriptionem propinata fuerit; quod in alterius feminæ mamma, post exortam circa nodos scirrhosos bonam suppurationem scirrhi isti nexibus suis soluti per exulceratam aperturam suppurando absceſſerint, cum spe tum temporis feliciter absolvendæ curationis; quod autem altera femina per usum belladonnæ (proculdubio per nimiam ejus dosin) furiosa evaserit, per repetitas tamen venæſectiones aliaque medicamenta ad sanam mentem redierit, & quod tum in mamma, carcinomate affectâ, suppuratio malitiosa, qualis cancro exulcerato propria est, emerſerit. Scilicet e contrario *Dominus DARLUC*, per motus ephemeride *cl. LAMBERGII*, itemque certior redditus per *Dnum BOUVART*, qui belladonnam in cancro utiliter alicubi adhibitam fuisse asseribat, scirrhosas inveteratas indurationes intestini Coli foris tangibiles per infusam belladon-



ladonnæ leviterque decoctam aquam feliciter curavit, alioque in casu addit eandem eo adhuc, quo scribebat, tempore usurpatam, similiter bonum præmonstrare eventum (k). Ulcus mammæ cancerosum sanatum est à *Dno* AMOREUX per fomentationes aquæ cum belladonna decoctæ (l). *Dn.* MARTEAU ope belladonnæ ejusque Tincturæ (m), cancerum mammæ occultum ita feliciter discussit, ut aliqua saltem durities remaneret (n). Et Medicus Bruxellensis *Dn.* van der BLOCK per aquam, in qua secundum formulam folia plantæ nostræ macerata fuerant, cancerum mammæ occultum sic auspiciato dispulit (o), quæ nimirum eo in casu utilis deprehenderetur, ubi cicutæ vis nulla esset, ut demum judiciose, quemadmodum citat Vindobonensis Professor *cel.* CRANTZ (p), concludat Vir cl. nullum specificum universaliter tale esse: cicutam, ubi in cancro putredo & gangræna adessent, belladonnæ præferendam: belladonnam contra, ubi acrimonia corrodens adesset, fungosa etiam caro excresceret, cicutæ anteponendam: belladonnam subjectis sensilibus, delicatulis, hysteri- cis, hypochondriacis, sanguineis, biliosis, terrificis inducere symptomata, vertiginem, caliginem, aliarum evacuationum suppressionem, his vero pituitosos, melancholicos, immunes esse, omnes oris, faucium siccitate torqueri. Quæ tamen consecutaria aliter aliterque, meâ sententiâ, circumscribenda esse videntur: mea etenim ægra, verbi gratia, nunquam vel vix quæsta fuit de oris molesta siccitate. Ex

(k) VANDERMONDE *Journal de Med. Chir. Pharmac.* Tom. XI. 1759. Dec. art. I.

(l) *ibid.* 1760. *Juillet.*

(m) quam describit *Dn.* CRANTZ l. mox cit.

(n) *Journal* 1761 *Janvier.*

(o) *ibid.* Tom. XIV. 1761 *Fevrier.*

(p) *Mater. med.* Tom. III. p. 43.



Ex haftenus dictis satis patet, quam diversa belladonna, haud secus ac cicutæ nuper, fuerit fortuna, eaque tanto magis ambigua, quanto belladonna præ cicutâ ad iuvandum prudenter adhibita, vel ad nocendum potentior est. Patet nimirum, tum quidem ex iis, quæ haftenus publici juris facta innotuerunt mihi superius indicata, tum maxime autem, quæ ex schedis protuli veracium testium, præcipue *b. DEGNERI*, qui eâ frequentissime usus est, quod belladonna pluries scirrhus, eosque partim sine dubio cancriscentes, felicissime dissolverit & curaverit; Cancrum jam apertum vero exulceratumve domare nequiverit, & hinc laude excidens, ob aliqua damna, quas vel culpâ doseos vel morbi produxit, vituperiis onerata fuerit. Sed in medio tutissimus ibis: scilicet sui medicamentis sunt limites, quos inter proficuum suam efficaciam exserunt, adversus certos morborum gradus atque species, dum in peiori gradu aliave morbi specie aut complexione temperieque hominum diversâ frustra auxilium ab iis expectatur. Erunt qui regerent, scirrhus istos, præsertim a *DEGNERO* curatos, neutiquam naturam eam cancerosam in se reconditam habuisse, leviorisque fuisse genii, quemadmodum etiam de carcinomate a *cl. LAMBERGEN* descripto ab aliis iudicatum esse novi. Sed profecto, quamvis & ego vehementer scepticus sim in rebus medicis, turpe ratus *ἀβασανίσως παραδέχεται τὴν πίσιν τῆς ἀληθείας*, & ut verum fatear, mirificas illas cancerorum curationes a *cel. STOERCKIO* cicutâ peractas, de verissimis cancris intelligendas esse, quin univcrsatim cancrum mammaram ab internis causis ortum & imitus fundatum tumque jam exulceratum, unquam absolute vel uspiam terrarum percuratum fuisse, vix credere ausim; docti tamen & probi multraque experti & contemplati Medici, qui *αὐτόπτης καὶ ἀντέχει* rem aliquam curavit, iudici-



dicium suo merito æstimari, & iudicio aliorum absentium, ex relatione judicantium, utique anteponi debet, & ratione scirrhorum id generis Sceptico inter argumenta responderi illud Terentianum: *Tu si hic fuisses, aliter sentires!* Sunt, qui putant, diathesin propriè canrosam vix unquam emergere, nisi in ætate provectiore, adeoque illud scirrhorum genus, quod v. gr. in mammis juniorum oriatur, neutiquam eò referendum esse. Sed tristes experientia contrarium sæpe exhibuit, ut vel tricenariæ iisque juniores morbum illum, inexpletum lacrymabilem, incurrerint, cui rei & exempla superius a me dicta testimonio esse possent. Qui novit, ex quam parvis & propterea plerumque neglectis initiis scirrhosis carcinomata propullulent, quam pertinaciter sæpe resistant remediis resolventibus duri scirrhi aliquamdiu jam formati; ille magni sane habebit medicamentum potenter resolvens, quamvis crediderit, ex decem, quos per illud discussit, scirrhis unicum saltem in cancrum fuisse degeneraturum, dum vel sibi relictis vel per medicamenta morbo imparia tentati fuissent. Fateor, belladonna agit sæpius non absque terrificis molestiis, & sunt alia tutiora remedia, laude sua adversus scirrhos neutiquam frustranda, prout ego pluries in isto morborum genere Sulphure antimonii aurato cum Mercurio dulci juncto fere ad modum formulæ Edinburgensis *clar. D. PLUMMERI*, interpositis fuligine & ammoniaco gummi aliisque congruis, optato cum effectu usus sum; at tamen fuit, ubi neque hæc neque cicuta neque alia omne Medicorum punctum tulerunt, & erit imposterum, ubi omnem paginam haud absolvent. Quare si ejusmodi in casibus belladonna dari possit, ita præparata, ut sine metuendis noxis & blandius ageret, operæ pretium optabile factura videtur. An folia plantæ teneriora & decerpta in ætate ejus certò de-

finien-



finiendâ mitius & scopo convenientius agent? neque *cl.* DEGNERUS neque alii de eo quicquam meminere, *cel.* autem LAMBERGEN adhibuit folia per tres annos ficce asservata. An succus belladonnæ in Extracti formam leni calore inspissatus, prudenti usu tale remedium erit? præsertim si ab externo simul accedente belladonnæ usu adjuvaretur; ita enim scribit RAIUS (q): *hujus herbæ folia recentia mammis imposita earum dūrities & tumores, etiam cancrōsos, emollire & discutere, sæpius expertus est generosus Vir, D. Percivallus WILLUGHBY: quod a nemine hæcenus, quod scimus, proditum publicæ utilitatis causa communicamus.*„

\* \*

\* \*

\* \*

Hæc præfari placuit, quum mihi indicenda sit anniversaria Almæ nostræ Ernestinæ festivitas ad decimum septimum Julii, quo & natalis ejus celebrari solet, & quo ego nunc pro more Magistratum Academicum ejusque Insignia, quæ præterito anno penes me fuerunt, tradere paro Collegæ æstumatissimo, qui per concordia Senatus Academici suffragia, benignissime confirmata a SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO FRIDERICO II, HASSLÆ LANDGRAVIO, PRINCIPE HERSFELDÆ, COMITE CATIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ, SCHAUBURGI, HANOVIAE ac reliqua, RECTORE HUIUS ACADEMIÆ SUÆ MAGNIFICENTISSIMO, electus est Prorector in annum  
nunc

---

(q) *Hist. plant. Tom. I. p. 680.*



nunc instantem, Viro Celeberrimo & Acutissimo DNO JO-  
ANNI MATTHIÆ MATSKO, MATHEMATUM PROFESSORI  
PUBLICO ORDINARIO, Fautori meo & Amico Honoratissimo.  
Antequam vero, quem per annum gessi, Magistratu dece-  
dam, præscripto in Statutis satisfactorius brevi sermone de-  
fungar. Illustris autem Successor meus, pro amplâ, qua  
pollet, doctrinâ, solenni & erudita Oratione suscepti mune-  
ris auspiciam faciet:

Nempe Vir Magnificus, cum se, ut ait, ad commentandam, qua  
compleri cerimoniam Prorektoratus majores voluerunt, institueret  
oratiunculam: dignus ei visus est locus is præfationis (\*), quam  
Encyclopediæ, nobili gallorum operi, dedit d' ALEMBERTIUS,  
ubi futuro oratori rhetoricam prodesse negat, vehementerque  
sibi placet digna se, digna seculo nostro, loquutum fuisse. In hoc  
igitur dilatando disputatiunculam occupabit, dicetque de studio-  
rum docendæ discendæque rhetoricæ, regendorum magistris  
Cicerone & Quintiliano, ratione.

Quem

---

(\*) A l' égard de ces puérilités pédantesques qu'on a honorées du nom  
de Rhetorique, ou plutot qui n'ont servi qu'à rendre ce nom ri-  
dicule, & qui sont à l'art oratoire ce que la scholastique est à la  
vraie philosophie, elles ne sont propres qu'à donner de l' eloquen-  
ce l' idee la plus fausse & la plus barbare. Cependant quoiqu'on  
commence assez universellement à en reconnoître l' abus, la pos-  
session ou elles sont depuis long tems de former une branche di-  
stinguée de la connoissance humaine, ne permet pas encore de les  
en bannir: pour l' honneur de notre discernement, le tems en  
viendra peut être un jour.



Quem Academicum Actum ut præsentia sua honorare  
dignentur, Viros omnium ordinum ac dignitatum spectatissimos,  
itemque generosam ac nobilissimam juventutis Academicæ coronam,  
eâ, qua par est, observantiâ peramanter rogo & obsecro.

\* \*  
\* \*

\* \*  
\* \*

\* \*  
\* \*

Vivat io! felix Patriæ Pater, atque perennent  
Hassiacæ Stirpis Gloria, Vita, Salus.  
Vivat Marte valens & Pacis & Artis Amator,  
Præsidium Templi, sancta Minerva! Tui  
Ernestina, Dei nutu prosperrima, nostri  
Principis auspiciis floreat aucta Boni.  
Et chari Vigilis, Cathedræ quoque Nomina docta  
Emineant, meritis condecorata suis.  
Sic, nuper ut blando fluxerunt tempora rivo,  
Prorectore novo facilis annus eat:  
Grandia Matskovius meditans exempla Virorum,  
Dum terit Euclidis mente sagace viam,  
Matskovius, cœtu mecum plaudente, Lycei  
O teneat sospes, quæ modo sceptrâ capit.  
Delicii nostri, Juvenum, bene repleat ardor  
Palladis & Recti viscera corque pius.  
Quæque donant, præter purissima gaudia, Virtus  
Et Musæ, maneant præmia quemque sua.  
Sic erit! ac imis hærebit fixa medullis  
Gratia Musarum, docta caterva! tuis:  
Quâ nihil est majus, præ quâ evilescit & aurum,  
Pulchrius in toto, suavius, orbe nihil.

---

P. P. d. 14 Jul. 1765.





Quem Academicum Aduo in p'clenit' sua honorat  
dignetur. Hanc causam ordinat ad hunc p'clenit'  
iustitiam gentium in adhibenda. Aduo in p'clenit'  
et p'clenit' p'clenit' p'clenit' p'clenit' p'clenit'

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...













uf 1425

ULB Halle

3


005 368 308



uf








U  
147







THEODORI GERHARDI  
TIMMERMANN

MED. DOCT. ET PROFESS. PRIMAR.  
VRBISQVE RINTEL. PHYSICI,  
ACADEMIÆ H. T. PRORECTORIS  
ET FACVLTV. MED. DECANI

PERICVLVM MEDICVM  
BELLADONNÆ.

*PROLVVSIO ACADEMICA.*



---

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.

